

DE POENITENTIA ADAMI.

est, ut serviret viro suo, ut neque maledicti & DEO in torum perirent, neque sine increpatione perseverantes D E U M contemnerent. Omnis autem maledictio decurrit in serpentem qui seduxerat eos. Et dixit, (inquit) Deus Serpenti: Qvoniam fecisti hoc, maledictus tu ab omnibus pecoribus, & ab omnibus bestiis terrae. Hoc idem autem & Dominus in Evangelio, his, qui a sinistris inveniuntur ait, Abite maledicti in ignem aeternum: quem præparavit Pater meus Diabolo & angelis ejus: significans qvoniam non homini principaliter præparatus est aeternus ignis, sed ei qui seduxit & offendere fecit hominem, inquam: qui princeps apostasie est principi abscessionis, & his angelis, qui apostatae facti sunt cum eo: Quem quidem juste percipient etiam hi, qui similiter (ut illi) sine pœnitentia & sine regressu in malitia perseverant operibus.

Mentiuntur ergo omnes qui contradicunt ejus saluti, semper seipso excludentes a vita, eo quod non credant inventam ovem, qua perierat. Si autem illa non est inventa, adhuc possidetur in perditione omnis hominis generatio: Mendax ergo is; qui prior hanc sententiam, imo, hanc ignorantiam & cæcitatem induxit, Tatianus. Connexio quidem factus omnium hereticorum, quemadmodum ostendimus; hoc autem a semetipso ad invenit, ut novum aliquid præter reliquos inferens, vacuum loquens, vacuos a fide auditores sibi præpararet, affectans magister haberi tentans & subinde uti bujusmodi a Paulo assidue dictis; qvoniam in Adam omnes morimur, ignorans autem qvoniam ubi abundavit peccatum superabundavit gratia. Ostendo ergo hoc manifeste erubescant omnes, qui ab eo sunt, & concertant de Adam quasi magnum aliiquid lucentur, si ille non salvetur, quanto magis nihil proficiant, quemadmodum & serpens nihil profecit, fraudens homini, nisi illud quod eum transgressorum ostendit, initium & materiam Apostasie sue habens hominem, Deum autem non vicit. Sic & hi, qui contradicunt saluti Adæ, nihil proficiunt, nisi hoc, quod semetipso hereticos & Apostatas faciunt veritatis, & Advocatos se serpentis & mortis ostendunt. Vide quæ pro salute Adami scripsimus in betrübten und getrosteten Rinde Gottes p. 468, & confer oppi-